

1522

tionem devenerint; idque ex eo potissimum contigisse, quod crudelibus, atque acerbis Proregis imperiis premerentur, qui non bonis, non sanguine, neque miserorum vita contentus, regni legibus violatis, Hispanorum libidini objecisset, a quibus intoleranda pati cogerentur: jus omne corruptum, provocationem sublatam; atque eo calamitatum deventum esse, ut nisi quo se recipiant, invenerint, ultro in Turcarum potestatem sint concessuri. Ego sane, inquit, qui illorum mentem perspectam, cognitam habeo, quorum calamitates inspexi, mandataque habeo, egregiam hanc vobis opportunitatem defero, ne præclarum regnum, quod nec suis vulneribus detectis, nec precibus, nec lacrymis expetita tot malis remedia a Cæsare impetrare potuit, in barbarorum tandem manus incidere cogatur. Sed vestris una cum Gallorum Rege sociatis viribus, Divino Numine adspirante, sublevetur, atque erigatur. Quis enim neget id divinitus contigisse, ut Carolus Cæsar, qui tot egregia virtute, atque armis gessit, modo a cunctis fere desertus, turpi fuga suis rebus consulere cogitet? An hæc vobis exigua ad fœdus cum Galliarum Rege ineundum incitamenta videntur, quibus incolumentas, ac libertas Italie nititur, quibus vestræ Republicæ ingens gloriæ cumulus accessurus est? Quid enim fructus commemorem? cum Henricus in Neapolitano regno maritima Apulie oppida, in quibus incredibilis in Venetum nomen amor viget, in Insubribus præter Cremonam, atque Abduanæ glareæ tractum, alia quoque, uti vobis libuerit, oppida sit concessurus? A quibus a Rege petendis si ingenuus vos quidam absterrret pudor, per dispositos ego equos in Galliam contendam, tum meo, tum Neapolitanorum nomine, ut vobis ab Henrico omnia proponantur, assequar. Cum vero ad bellum suscipiendum duo in primis necessaria videantur; justitiæ ratio; gerendarum rerum facilitas; ac pecunia, in qua nervi bellorum consistunt: quid justitiæ consentaneum magis, quam tot afflictos populos, tot innoxios mortales servitute eripere? quid æquius, quam incolumentati publicæ prospicere, atque illorum fastum, ac libidinem reprimere, qui in omnem occasionem intenti, regna ac provincias sitiunt? Nihil vero facilius. Universa Apulie ora Republicæ vestræ addicta est; alias pietatem, justitiam, rectamque administrandi rationem Ven-